

de Usur. num. 118. Fieret autem peior Creditoris conditio, si quod prius ab uno tantum exigere poterat, a novis emptoribus per summum debitorem, ipso incio, multiplicicatis, non posset in solidum exigere illud idem, aut ab eodem suomet debitore. Si vero Sejus prius denunciavit Creditori census talem venditionem; tunc dico, Creditorem Census non posse convenire in solidum omnes tres emptores ad solvendum integrum Census, sed tantum eos convenire pro rata, juxta partem Census; eo quia pars rei in tali casu transit cum parte oneris; unde sicuti quilibet ex Emptoribus in particulari tenetur solvere ad ratam suæ partis Census; quoad eandem ratam potest Creditor eos solum convenire. Vide Azorium 3. par. Inst. Mor. lib. 10. cap. 21. v. quarto quæritur, verus fin.

CAS. III. Sempronius falsis testibus accusatus de gravissimo crimine, tormentorum metu fatetur se commississe crimen, quod non patravit. Q. an ab ipso fieri debeat retractatio?

Resp. cum dist. Vel imputatio falsi criminis quod metu tormentorum se commississe fatetur, resultat in grave præjudicium alterius, puta, in grave scandalum proximi, in notabile dedecus familiæ &c. Vel non. Si non; dico, quod si rationabiliter metuat, se ad multum gravia tormenta raptum iri, prout ordinarie contingit, si faciat retractationem, non est in eo hoc debitum, ut ab ipso fiat retractatio, etiamsi mors inde ipsi sequi deberet. Et ratio est, quia in hoc casu sibi ipse proprie mortem non intendit, sed vitiationem illorum valde gravium tormentorum, de quibus ob cruciatum diuturnum, ac valde dolorosum, merito dici potest, quod non est tanto dolore digna salus, & vita; ob quam rationem etiam a peccato excusantur qui resecationem alicujus membri, aut scissionem, vel aliam curationem valde dolorosam respuunt, ac proximam mortem amplectuntur. Neque, per non retractationem, proprie cooperatur injustæ sui damnationi; nam ex una parte si malum sibi evenire permittit, id facit, ut mox dictum est, ex gravi ac rationabili motivo, ne longiori morti subdit; ex alia Judex ipsum condemnans procedit juxta allegata, & probata, sicque ex hujus parte nulla intervenit injustitia. Si postea imputatio falsi criminis resultat in grave præjudicium alterius; tunc dico, quod a Sempronio fieri debeat retractatio, non obstante metu gravium tormentorum; eo quia, licet ipse possit licite suæ famæ renunciare, & ex rationabili motivo sui mortem permittere, non sic tamen, sua falsa confessione criminis, grave aliis præjudicium inferre. Lessius de Just. & Jure lib. 2. cap. 11. dist. 7. Sporer in 8. præc. dec. cap. 4. sect. 1. num. 190. aliique non pauci. Dixi postea ab initio, si rationabiliter metuat, se ad multum gravia tormenta raptum iri; nam si tormenta, quibus se retractando subjiceret, levia essent, tunc certum est, quod deberet se retractare, ad se liberandum a morte, aut alio gravi malo, nam tunc ad se retractandum ipsum adigeret obligatio tuendi propriam vitam, ac se liberandi ab illo gravi malo, ut recte tradit Steph. a S. Greg. de Rest. in part. lib. 1. cap. 12. num. 19.